



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Provincia Sardiniae.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67721)

gna populi totius offensione. Ea re parens ipfius, vt infamem & adulterinam expulerat. Sed concionatoris verbis adeo acriter illius mentem pupugit Deus, vt in fletus, lacrymasque liquata, an-reactæ vitæ maculas generali confessione detulerit. Perditissimus homo, qui Christianam abiurata fidem, & Mahometicam impietatem sectari præfracto animo decreuerat; à nefaria mente deterritus, & in veteri, verâque religione magis, magisque firmatus.



P R O V I N C I A  
S A R D I N I Æ.

**N**VMERAVIT hoc anno Sardinia in quinque domicilijs, quorum quatuor Collegia, & Domus vna probationis, Socios quadraginta supra centum; è quibus Sacerdotes quadraginta octo, & ex his decem Magistri, Scholastici viginti, è quorum numero sex Magistri; Coadiutores quadraginta octo; Tyrones septemdecim. In Collegio Sassaritano quadraginta quinque; In Calaritano duobus minus. In Valleclesiensi decem; In Algarensi duodecim; In Domo Probationis Calaritana triginta. Duo abierunt ex hac vita; quinque in Societatem cooptati sunt.

COLLE-

COLLEGIVM SAS-  
SARITANVM.

SASSARITANA vinea hoc anno accuratius cul-  
ta est, & fructus labori respondit, tùm in scho-  
lasticis omni doctrina excolendis, quorù numerus  
creuit in dies, & certauit cum numero pietas, tùm  
etiam in omnium congregationum Sodalibus, &  
numero augendis, & ad omnem pietatem infor-  
mandis. Maiorum congregatio vnum Societati  
dedit. Congregatio adolescentium & iuuenum,  
qui nondum vxores duxerunt, tanta pietate flo-  
ret, vt quidam ex Iudicibus huius ciuitatis dixerit  
Patri, cui huius congregationis cura demandata  
est, horum adolescentium correctione nullum fa-  
cessere negotium; postquã enim est erecta Soda-  
litas, pace summa fruitur ciuitas. Quanta vero in  
his fuerit mutatio morum, patebit ex his, quæ  
acciderunt. Quidam adolescens, cum vnum ex ijs  
Sodalibus in compito adortus esset, aggredienti  
pius Sodalitæ dixit, Apage, meus enim ensis obtu-  
sus est: & aduersarius: Stringe, quandoquidem  
gestas: tum ille, Pater congregationi præpositus  
ita meum ensen vinxit, vt educere non valeam;  
vrgebat feras aduersarius: ac tandem ille: per De-  
um ne sis in causa, vt tanti thesauri, quantum  
consequutus sum, iacturam faciam. Tunc Ecclesi-  
asticus quidam dignitate præditus, qui idem ad  
Patrem congregationi præpositum, & ad Archie-  
piscopum rem attulit, adolescentem amplexus, ad  
constantiam in virtute retinendam confirmavit:  
Aduersarium suum reprehendit, quod illius vir-  
tute

tute abuteretur. In aliorum etiam ciuium salute quærenda, pro more nostro laboratum est. Hæc acta sunt domi: foris, hoc est in Missionibus, illa: pax inter multos composita, cuius exempla hæc sunt. Cum Noster Sacerdos ad solemnia in rusticano templo fieri solita inuitatus esset, spectare quosdam ad iniuriæ ultionem audiuit: Triginta homines venerant sclopis armati, Pater vero diuinitus iniecta solertia vsus, illos ad sui comitatum inuitauit, qui concedentes prosequuti sunt eum vsque ad templum, in quo pessimum illud vlciscendi consilium explere cogitabant. In eo enim templo supplicatio celebrabatur, in qua multa Sodalitia cum suo quodque vexillo procedere solebant, ac dū, quodque Sodalitium præire contenderet, inde illi rixandi ansam arriperent. Sacerdos igitur Noster totam multitudinem supplicantium, in audiendo de verbo Dei sermone detinuit: Cui omnes piè admodum, genibus flexis, lacrymasque fundentes interfuerunt: & qui ferocium leonum instar exercendæ carnificinæ consilio venerant, mansuetissimi, summa cum animorum tranquillitate, reuersi sunt, populo approbante, & pro tanto beneficio Deo gratias agente. Aliud huic simile contigit in templo quodam B. Virgini dicato, quò magna ex varijs ciuitatibus atque pagis multitudo de more concurrebat. Episcopus Ampuriensis cum sacerdotem de nostris illi templo proximum esse audiuisset, ad eum litteras dedit sibi fore gratissimum, si eò sermonis ad multitudinem habendi causa se conferret. Libentissimè paruit Pater, cuius opera volebat Deus malo imminenti occurri; Cuiusdā enim vrbis ciues cum alijs quibusdam paganis martio

furore

furere insignibus rixati erant, & ventum erat ad  
arma; quinquaginta namque homines sclopis in-  
structi ad magnam stragem edendam accurre-  
rant: & qui offensiores in se inuicem animos ha-  
bebant, imminebant in eam occasionem demonis  
arte oblatam. Pater vero cum matutinis precibus  
intentus propè abesset, aduolans suggestū ascen-  
dit, motum sedauit, & ad sermonem audiendum  
hortatus est. Cum peroratum esset, celebris vespere  
cantantur, ac maior noctis illius pars in diu-  
nis precibus, cantibus, & peccatorum confessio-  
nibus posita est, & in sequenti die amplius sex-  
centi sacra synaxi participes facti sunt, gratiæ item  
actæ Angelorum Regina, quod ex tanto periculo  
erepti erant. Sublata cadauerum sepeliendorum  
praua quædam consuetudo, quæ mores gentium  
sapiebat, & sacratissimæ Eucharistiæ sumendæ  
vltus introductus tantus, vt in Cœna Domini ma-  
ioris hebdomadæ vix vnus abstinerit, quo die  
de huius Sacratissimi Sacramenti institutione  
sermo habitus est. Subuentum fuit tum animis,  
tum etiam corporibus in carcere detentorum,  
eorumque satis egentium: ac tale demum in hoc  
pago incrementum pietas habuit, vt ij religiosi,  
qui stipis cogendæ causa eò se conferunt, plus se  
in eo loco fateantur accipere, quàm in alijs pagis,  
vel etiam ciuitatibus. Quod cum in beneficijs nu-  
merassent eius ordinis Præpositi, ad nostros agen-  
darum gratiarum causa venerunt. Paganis autem  
huiusmodi valde conducit, quod sunt & acri, &  
ad disciplinam docili ingenio donati. Quidam  
vulneribus malè acceptus, cui etiam filius ereptus  
erat nece, interfectoribus veniam dedit. Verum  
vt est dæmon in his & similibus officijs impe-  
diendis

diendis assiduus, pium hominem per suos ministros, hoc, est, prauos homines, de recta sententia deducere conabatur, qui eum filij sanguinem vendidisse dicebant: sed diuinitus doctus homo sapienter respondit, se per patrem ( nostrum hominem intelligebat) Deo promisisse; filij verò sanguinem se vendidisse non alij, quàm illi, qui suorum peccatorum causa suum sanguinem effudit & in eo consilio perseuerauit vterque coniux, ac Deum liberalem, nimirum pietatis, & bonorum humanorum auctorem, expertus est. In alio pago, ipso Die sacro assumptę virgini, neces multorum, & alia mala impendebant, idque in ipsa supplicatione, quam opportunam improbi, ad suas voluntates explendas, occasionem expectabant; at idem Pater, qui apud eos concionari solebat, cum eo peruenisset, campanę pulsibus iussit aduocari concionem ad dei verbum in templo audiendum: quo commodissimo quidem, & præsentissimo remedio, per huiusmodi occasiones, vti solebat. Non fuit irritum consilium, nam lacrymę, quę malorum imminentium metu fundebantur, in peccatorum dolorem conuersę sunt, & summa cum pietate, tum etiam pace sunt solemniter celebrata.

## COLLEGIUM CALARITANVM.

**A**CCVRATVM est in animarum salute pensum, licet fuerit collegarũ numerus duorũ obitu imminutus; quorum alter erat Pater Gabriel Nunez, Prouincialis, Hispanus, Madriti-

natus, in Prouincia Toletana, ex cuius obitu  
magnum vniuersa ciuitas doloris sensum hausit,  
quippe quæ singulares in eo virtutes inesse per-  
spexerat. Quanto autè eum amore complexa fu-  
erit, illud argumèto est, quod ipse Prorex, Epis-  
copi qui tum aderāt Calari, Consiliarij Regis, Se-  
natus Calaritanus, Clerus, Parçciæ omnes, & aliæ  
religiosorum familię cum suis quæque crucibus,  
vt in iustis persoluendis fieri solet, humando ca-  
daueri interfuerūt. Ac in ferenda vi morbi, quæ a-  
cris erat febris, animi constantiam & æquitatem  
semper præ se tulit. Alter erat Pater Antiochus  
Mostellinus Calaritanus, confessionibus audien-  
dis, & contionando tum in nostris domicilijs, tum  
etiam in pagis lustrandis assiduus; Cum enim A-  
lensem diœcesim cum Episcopo obiret, in quo-  
dam pago Deo animam reddidit præmia laborum  
accepturā. Magnus est scholasticorum numerus,  
nec minus est studium ad litteras perdiscendas,  
ardor autem ad pietatem inde cernitur; nam  
duodecim circiter religiosam vitam amplexi sunt,  
quorum quatuor sunt in nostram Societatem ad-  
scripti, & ex his duo nobili genere nati, magna eū  
approbatione ciuitatis. In quatuor congregatio-  
nibus magna est multitudo, & pietas viget, in ea  
præcipuè, quæ ex Equitibus & viris primarijs con-  
stat, subleuanda inopia pauperum, inuisendo  
nosocomio, & carcere, in quo æris alieni causa  
centum circiter homines, & in his aliquot trienni-  
& quatuor annorum spatio detenti, emissi sunt,  
stipe ad æs alienum soluendum erogata. Compo-  
sita pax est inter inimicos. Famæ, & malè parte-  
rum restitutiones factæ. Alij ex luxuriæ cœno ex-  
tracti sunt. Pauperum inopia corrogata ostiatim  
stipe

stipe subleuata est.

## DOMVS PROBATIONIS CALARITANA.

**V**ERSATI sunt tyrones in omni & sui contemptus, & officiorum erga proximos ægros nosocomij, genere. In alios etiam proximos opera deriuata est. Ex hac Domo missus est vnus illis, qui in tertia probatione versabantur, isque Sacerdos cum socio, in pagum nomine Curulum Comitum rogatu, vbi magnum accensum est studium ad Christianam pietatem, magnusque concionibus ortus est fructus; tantus enim fuit pœnitentium numerus, vt sex sacerdotes confessionibus excipiendis occupatissimos habuerit, quæ à prima diei luce huic officio intenti erant. Tradita est doctrina Christiana, ad quam audiendam non tantum pueri, verum etiam viri, senes, atque adeo ipse Comes & Equites, qui eum comitabantur, confluebant. Hæc officia tantam erga nostros in animis omnium reuerentiam pepererunt, vt tanquam homines de celo delapsos intuerentur. Vt autem fructus animarum proximior esset atque constantior, ipse Comes, & alij primarij viri collegium in eo pago erigere decreuerunt, & vt ad patrem nostrum Generalem scriptum est redditus assignarunt. Eodem anno ex Collegio Calaritano, & Domo probationis missi fuerunt tres Bosam, vt in ea Ciuitate initium fieret. Omnium, quæ nostra Societas solet, officiorum genera sunt præstita ciuibus. Hic à quibusdam religiosis intenta lis est nostris, motu videlicet quodam proprio

equil



proprio Summi Pontificis nos, vbi illi essent, prohiberi, quo minus Residentiæ domum instituere-  
 mus; quod & Consules, & principes ciuitatis, &  
 reliquus populus Bosensis agrè tulerunt, & reli-  
 giosos illos contumelijs Bosenses affecerunt, arbi-  
 trati nostram causam hoc modo agendam esse.  
 Verum nostri ad Senatum se conferentes, omnes  
 admonuerunt se non litium, & motuum causa  
 eò venisse, sed vt omnibus obsequerentur, & ad  
 pacem dissidentes adducerent; se molestè tulisse in  
 ea causa defendenda malorum armorum ratione  
 eos vfos esse, quandoquidem religiosorum tam  
 sancta religionis obtrectione, Societatis cau-  
 sam probandam esse putabant: atque eam v-  
 nam causam satis esse, vt homines Societatis cede-  
 rent ciuitate. Quam nostrorum orationem ita illi  
 approbarunt, & laudarunt, vt supremus magi-  
 stratus deinde frequenti Senatu, nostræ Societatis  
 laudes canere non cessaret, & cuidam aduersus il-  
 los religiosos loqui volenti, occurrerit nostrorum  
 modesta oratione doctus; patres videlicet agrè  
 ferre aliorum religiosorum obtrectionem.

COLLEGIUM VAL-  
 LECCLESIENSE ET  
 ALGARENSE.

**C**OLLEGE suo quisque muneri in proxi-  
 morum salute procuranda non defuerunt.  
 Congregationes solitum pietatis cursum tenuerunt.  
 Quidam prouecta ætate cum diu Congre-  
 gationi nomen dare distulisset, homo natura  
 quidem solutus, & vni lætitiæ deditus, tandem  
 Deo

Deo parens, magna cum eorum, qui eum cognoscebant, approbatione in Sodalitatem adscitus est. Paucis autem diebus, postquam in veteranos relatus est, in morbum incidit, ex quo non conuuluit: & antequam animam exhalaret, iterum & saepius illud repetebat: Heu quantulo tempore meae congregationis bono sum fruitus.

AGARIAE Societatis munera obita sunt, vt in reliquis Collegijs. In Congregationibus luce pietas Christiana. Scholastici, qui adhuc vna schola continebantur, in duas distributi sunt, cum applausu ciuitatis. Mulier quaedam turpibus luxuriae cogitationibus adeo vexabatur, vt cuiusdam hominis quarendi causa domo exiret aliquoties, vt suis libidinibus satisfaceret. Hac per B. nostrum Patrem Ignatium, cui beneficium acceptum refert, ab omni molestia vindicata est.



## P R O V I N C I A

## P E R V A N A.

ALIT hęc Prouincia ex nostris ter centum quadraginta quatuor, locis sexdecim: in his Collegia octo: Domus Probationis vna; Residentiæ septem. In Collegio Limensi quatuor & nonaginta; In Martiniano nouē; In Cuschenſi triginta quinque; In Potosino duodeuiginti; In Platenſi tredecim; In Chilensi vnde uiginti; In Quitenſi quatuor & viginti. In domo Probationis, cui adiuncta Sedes S. Iacobi, triginta. In Residentia Inſulensi nouem; In Panamana vndecim; Vno minus